

IN NOMINE JESU!

De

ENUNCIATIO-

NIBUS MODALIBUS,

DISPUTATIO LOGICA,

Quam

Divinâ annuente Gratiâ,

PRÆSES

M. CHRISTIANUS Grünenberg /

Stetinensis Pomeranus

Ritè rectèq; philosophantium

disquisitioni subicit,


RESPONDENTE

JOACHIMO Koltzen /

Brandenb. March.

In Acroaterio Minori

Add. V. Augusti horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. Johann. Haken,

ANNO M DC LXIII.



Handwritten signature or mark.

Coll. diss. A
173, 1

Handwritten note: 841. A. 173 (1)





IN NOMINE JESU!

§. I.



Ulm Zabarella quotquot militant Enunciationem inter & Propositionem non distincturis gravissimum decernunt bellum. Cùm enim hanc à præponendo nomen & appellationem trahere omnes facile dent concessum, præter Majorem & Minorem Syllogismi Propositiones quicquam ita dici ægrè ferunt: quorum sententiâ Enunciationis terminus latius extenditur terminò Propositionis, ut omnis quidem Propositio sit Enunciatio, sed non cõtrà. Quemadmodum verò nihil unquam tam est dictum benè, cui non oblocutæ sint Xantippæ Socraticæ & contentiosæ animæ, nec quicquam tam est dictum malè, quod non suos haberit ultores: ita nec huic qui sese opponerent sententiæ defuerunt hæctenus. Si exaudire displicet, audiamus ramen, quibus quantisque se suffulciant rationibus. Grammaticò & nominali vocabulorum discrimine concessò Logicum & notionale non agnoscunt; Philosophicam & technicam vocabulorum acceptionem usu magis, quàm origine æstimandam perhibentes; siquidem verba usu valeant, ut nummi. Addunt, quod neque vox ulla possit debeatvé dici extra Enunciationem terminus, si eam ob causam Propositio extra Syllogismum nequeat dici Propositio, quòd tunc rei præponatur nulli: cùm termi-

A 2

nus

nus à terminando vocatus extra Enunciationem quoque nihil
 terminet. Sed & aliam habent rationem, non inter postre-
 mas locandam. Nempe, si Enunciationis terminus, inquit,
 amplitudine Propositionis terminum superat, ut hic sub illò
 tanquam minùs universalis sub universaliori contineatur: dà-
 da non tantum erit definitio Enunciationis ut sic, & enuncia-
 tioni & Propositioni competens; sed prætereà Enunciationem
 s. Propositionem extra Syllogismum non Enunciationem sim-
 pliciter, sed cum additò, aut profus aliò appellari nomine e-
 rit necesse. Nunquam enim species unò cum Genere suò no-
 mine gaudet. Facturus autem est rem omni ausu majorem,
 sive quis definitionem ejusmodi, sive aliud nomen invenire
 tentet, quò Enunciationes appellet. Ita illine nativa vocis
 objicitur significatio, hinc consequentiarum urgetur ratio:
 quæ res difficilem facit electionem, utri sententiæ subscribi
 præstet. Nos certè tanti rem facturi non sumus, ut contentio-
 sè de illà cum quoquam agamus, amplexantes unam citra fasti-
 dium alterius. Quod moderamen etiam tutissimè adhiberi
 ratus Keckermannus, sic *Systemat. Logic. Libr. II. cap. 1. pag. m. 191.*
col. 1. inquit: Alii malunt Enunciationem, alij Axioma vocare.
Nos vocabuli vim generalem spectantes, appellabimus Propositionē,
nemini litem ob vocem moturi. Sed quid tam longè imus peti-
 tum suffragia? Nostros Dnn. Præceptores hujus sententiæ adeò
 non pudet, ut Excell. Scharffius *Institut. Logic. Libr. II. cap. I.*
pag. 291. post alia sic scribere non dubitet: Propositio non rarò i-
ta strictè sumi solet, ut tantum præmissas Syllogisticas significet, h. e.
Orationes s. Enunciationes in Syllogismo positas, ita, ut causam
conclusionis contineant. Ita Aristoteles libr. I. prior. anal. c. 25.
ait: Omnem Syllogismum constare ἐκ δύο προτάσεων, καὶ ἑπλει-
όντων ex duobus pronuntiatis s. Propositionibus, & non ex pluribus.
Hoc igitur sensu Conclusio non erit πρότασις. Sed tamen & latior
usus Propositionum est, ita, ut etiam quævis Enunciatio dicatur Pro-
positio. Quod si verò neque hoc pacto litis expectandus finis,
 differamus licebit in Eliæ usque adventum, omnia compositu-
 ri: sed

ri: sed interea temporis non prohibeamur, quò videbitur terminò uti.

§. 2. Eas autem Propositiones Modales vocamus, quæ præter Subjectum & Prædicatum Modum habent formalem h. e. copulam totamq; simul Propositionem afficientem. Quod si verò quisquam earum sive definitionem sive descriptionem desideret, hanc habeto: *Modales Enunciationes sunt Orationes enunciativæ, in quibus aliquid de aliò dicitur, sub modo quodam formali.*

§. 3. Ergò Modali appellatione non quidvis dignamur, quod vel qualitatem Subjecto, vel habitudinem tantum ad illud Prædicato addit: sed quod modificatrice virtute per totam se penetrat Enunciationem, primariò copulam afficiendo, ita, ut neutra Enunciationis pars soli sibi illud vindicare possit, ambabus tam commune, quam copula ipsa. Non videmur nobis rem adumbraturi melius, quam Negativarum Enunciationum exemplò. In quibus uti negotio neutrius termini solius est, toti communis propositioni: ita sese omninò cum Modis res habet. Et quid dicimus ita sese rem habere? Quovis audiente non verebimur asserere, Modum fortiùs afficere copulam, quam negationes. Hæ enim tolli semper possunt salvâ Enunciationis quidditate, (non qualitate) hic non item.

§. 4. Sint datæ Propositiones
Neesse est hominem non esse lapidem.
Contingit Nullum hominem esse doctum.
Impossibile est piscem volare.
Possibile est N. hominem vigilare.

ex quibus sine quidditatis jacturâ negationes demseris, laterem loturus, si idem cum modis periculum feceris, qui nisi cum quidditate tolli nequeunt & demoliri.

§. 5. Hinc est, quòd nunquam copula & Modus commodam sui concedant divulsionem, sed semper conjungi velint, sive à principio Enunciationis; v. g.

A 3

Neces-

Neceſſe eſt percam eſſe piſcem.

Contingit Petrum ſcribere.

Impoſſibile eſt lapidem videre.

Poſſibile eſt hominem eſſe doctum.

ſive in medio, ubi copulæ aliàs locus eſt; v. g.

Perca neceſſariò eſt piſcis.

Petrus contingenter ſcribit.

Lapis non poteſt videre.

Homo poteſt eſſe doctus.

Nonnunquam Enunciatio definit in Modum. v. g.

Percam eſſe piſcem neceſſe eſt.

Petrus ſcribit contingenter.

Lapideſt videre eſt impoſſibile.

Hominem eſſe doctum eſt poſſibile.

§. 6. Ergò tantùm non ad naſeam uſq; oſtendimus, Modum immediatè copulam, & haec mediantè totam Enunciationem adè afficere, ut Modales ab eo dici mereantur.

§. 7. Augere fidè poſſumus Dnn. Præceptorū autoritate, quos vix ſatis appellari perſaſi ſumus. Ita verò Excell. Scharffius *Inſtit. Logic. Libr. II. cap. 6. p. m. 430. & 431.* Facile patet, quid ſentiendum ſit de illà quaſtione: *An Modi Neceſſe, Contingens, Poſſibile aut Impoſſibile pertineant ad Prædicatum, an verò ad copulam & Compositionem Enunciationis.* Multum hac de re diſceptârunt autores, ſed plurimi fruſtrâ. Alii illos ad Prædicatum referunt, alii ad copulam. Nos mediam viam tenemus, ſtatuentes, quòd illi dicti Modi pertineant quidem ad copulam, & Compositionem Prædicati cum Subjècto afficiant, ſed ita tamen, ut ſimul ad integritatem Prædicati pertineant.

§. 8. Ex quibus plus ſatis pateſcit, quinam Modi Modalem faciant Enunciationem, nempe copulam ſimul totamque
affici-

afficientes Propositionem, eò quidem modò, ut dicant habitu-
dinem terminorum mutuam; An se videlicet negativè & repu-
gnanter, an positivè essentialiter, aut tantùm positivè ac nega-
tivè accidentaliter respiciant. Certè ly Impossible dicit re-
pugnantiam convenientiæ Prædicati cum Subjecto: ly Necessè
convenientiam eorum positivam atque essentialem: Contingens verò & Possibile sunt notæ convenientiæ possibilis vel a-
ctualis, sed accidentalis. Quicquid ergò talem Extremorum
Enunciationis convenientiam & habitudinem non indicat, ve-
ris Modis annumerandum haut venit.

§. 9. Nunc frustrà difficultatem comminiscuntur Ad-
verbia, frustrà Facile & Difficile, frustrà Verum & Falsum, fru-
strà Scitum est, creditum est, & quicquid horum simile. Con-
stat enim partes terminorum, non passionis copulæ esse; ut
in his videre est Enunciationibus:

Qui fortiter præliatur, coronatur.

Qui diligenter studet, evadit doctus.

Petrus currit celeriter.

Verum est hominem esse animal.

§. 10. Ubi tamen sicco transire pedè nequaquam pos-
sumus, supra nominatos Modos formales quidem esse, sed non
semper; ita dictos, non quod semper modificent, sed quod
soli.

§. 11. Haut rarò enim bini aut terni in unâ eademque
propositione habentur, qui tamen ut omnes sint Modi forma-
les tantùm abest, ut hac ratione una propositio tribus æquipol-
leret, aut duabus: quod Chimæra, aut si quid monstrosius. Ille
verò, isq; solus pro formali tum habendus est, qui copulæ prin-
cipali adhæret; cæteri namq; materiales tantùm & partes ter-
minorum sunt. Sic in hac v. g.

*Qui contingenter est Philosophus, necessario est
doctus.*

Quisq;

Quicquid necessario urit, necesse est esse ignem.

Modorum Contingenter & Necessaryò in subjecto repertorum nulla habetur ratio: sed ly Necesse copulæ adhærens principali in utrâq; propositione Modificat & denominat, ita ut ambæ propositiones quidem sint verè & formaliter Modales, sed solum ob modos copulæ. In his autem v. g.

Qui necessario est rationalis, est homo.

Qui contingenter dormit, aliquando vigilat.

Modi Necessaryò & Contingenter, cùm subjectorum partes constituent eorundemq; integritatem perficiant, Materiales sunt nec Modales Enunciationes efficiunt,

§. 12. Si contingat tribus plures in unâ Enunciatione reperiri Modos, spuria erit illa Enunciatio & stelligonata, à quâ tibi caveas (vadeo).

§. 13. Ad Garamantes & Indos usque amandamus Rami sententiam, qui *Libr. 6. Schol. Dial. c. 3. Innumerabiles*, inquit, *modi sunt; ut, Socrates disputat sapienter; Zeno respondet subtiliter; Alexander præliatur fortiter &c.* referente Scheiblero *Tract. Logic. de Prop. c. VII. tit. 2. art. 2. p. m. 179.* eamq; æternò mulctamus exiliò.

§. 14. Sed ut nostram de Modalibus mentem distinctiùs explicemus, tria cum Scheiblero *l. c.* ad veram formaliterque Modalem Enunciationem postulamus (I) *Ut Modus explicitè exprimatur & non subintelligendus veniat; Quamquam ergò harum*

Homo est animal.

Petrus est doctus.

Illæ sit necessariæ, hæc contingentis connexionis: neutra tamen Modalis est; si quidem hoc pacto nulla non Enunciatio Modalis foret. (II) *Ut Modus verè modifiet, primò copulam & per hanc totam Enunciationem.* Modalis ergò non sunt

Quod necessario urit, est ignis

Qui est necessario Philosophus, est verus homo.

(III) *Ue*

(III) *Ut prater Modum etiam Dictum adsit.* Quoniam alias
modus erit alterum extremum. v. g.

Hoc est possibile.

§. 15. Haecenus quæ ad Definitionem pertinent; quæ nunc
merito affectionum præcipuarum evolutio excipit, nempe Di-
visionis, Qualitatis, Quantitatis, Oppositionis, Conversionis
& Equipollentiæ.

§. 16. Dividunt autem quidam Modales in *Compositas* &
Divisas.

§. 17. *Compositas* vocant, quando Dicti partes conti-
nuæ sunt, ita, ut vel Modus Dicto, vel Dictum Modo adhereat.
v. g.

Neesse est hominem esse animal,

Impossibile est lapidem videre,

Petrum esse hominem neesse est,

Aristotelem esse doctum contingit.

§. 18. *Divisas* appellant, quando partibus Dicti Modus di-
scrimen objicit, ne committantur. v. g.

Homo necessario est animal.

Petrum contingit scribere.

§. 19. At verum fassus Excell. Scharffius *Instit. Log. lib.*
II. c. 6. subtiliter id fieri negat. Et certè, cum omnis divisio-
nis membra debeant esse opposita, nihil autem oppositionis in
Divisis & *Compositis* Modalibus habeatur: neque nos pro Di-
visione strictè sic dictâ agnoscimus.

§. 20. Temerè igitur quæritur, An solæ *Divisæ*, ut *Tata-*
retus; aut solæ *Compositæ*, uti ex *Fonseca* alii contendunt,
veræ Modales sint. Quia enim utrisque vera Modalium defi-
nitio verè competit, utrasque nil dubitamus veras Modales sa-
lutare.

§. 21. Unde autem de Qualitate earum judicium sumi o-
porteat, *Archimedeum* videri problema posset: aliis conten-

B

den-

dentibus, Modos Propositionibus hanc dare; aliis verò affirmati-
vibus, Dictò contineri, nullasque in hoc negocio Modorum
partes esse.

§. 22. Nihil autem causarum est, cur nos Davos quàm
Oedipos profiteamur. Dicimus igitur rem non secus sese hic
loci habere, quàm in puris absolutisque Enunciationibus; ita,
ut negatio & affirmatio Enunciationis Modalis pendeat à ne-
gato vel affirmato Prædicato de Subjecto. Sed Negari illud
de hoc putamus, quando negatio ad copulam principalem h. e.
modum atque copulam pertinet: affirmari, quando copula ne-
gationem patitur nullam.

§. 23. Negatione etiam tangitur copula, vel (1) quando
particula negativa NON à Modo & copula nullò spatio remo-
vetur. v. g.

Non est necesse hominem esse doctum.

Non est possibile piscem volare.

Non contingit Petrum esse rationalem.

vel (2) quando syncategorema negativum habetur in Dicto;
v. g.

Necesse est N. hominem esse lapidem.

Possible est Q. Philosophum non esse pium.

vel (3) quando ipse Modus in sua formalitate negationem
dicit; v. g. in his

Impossibile est lapidem videre.

Impossibile est equum latrare.

vel (4) quando particula NON Prædicato Dicti præponitur.
v. g. in his

Necesse est hominem non esse lapidem

Possible est Q. Mercatorem non esse prudentem.

§. 24. Quod ut rectè intelligamus, attendi oportet,
Particulam negativam exprimi vel Modò in se negativo; vel
syn-

syncategoremate tali ; vel Adverbiô negandi. Neque est ut nos moveat quicquam, quod particula NON, copulæ & Modo non immediatè adhærens, eam non videatur afficere: cùm trajectio tantùm copulæ facta sit, in alieno loco immorantis, quâ decebat in medio Dicti poni.

§. 25. Diximus ipsum Modum formalitate suâ negare, posse, quod ut omnibus persvadeamus, non opus erit tota rationum plaustra exonerari, sed satis ex impossibili λύσει horum argumentorum patebit

I.

Impossibile est piscem esse lapidem.

Impossibile est adamantem esse piscem. E.

Impossibile est adamantem esse lapidem.

II.

Impossibile est equum latrare.

Impossibile est equum esse canem. E.

Impossibile est canem latrare.

§. 26. Quantitas Modalium cognoscitur ex habitudine Prædicati ad Subiectum, syncategoremate aliquô indicatâ, si quod adest: aliàs ipsa habitudo in se spectatur, aut Enunciatio pro indefinita habetur.

§. 27. Ergò humani nonnihil patiuntur, quotquot omnes Modales Compositas singulares esse contendunt, adeò, ut signa quantitatis in illis reperta ociosa vocabula sint, tantùm ob vacui fugam inserta.

§. 28. Sic præter alios humanitatem hîc expertus suâ Scheiblerus locò supra allegatò p. 191. non dubitavit hæc verba dare: *Modales Enunciationes Compositæ quantitatem non habent propriè loquendo, nisi singularem. Omnes, inquam, Modales Compositæ sunt singulares, quodcunq; tandem signum sit in Dicto. Ut hoc intelligatur, observandum est: Dictum in his Enunciationibus habere solum rationem unius extremi, nempe Subiecti. Non potest igitur*

B 2

ex

ex ejus quantitate sumi quantitas Propositionis : cum quantitas Propositionis attendatur in extensione Prædicati ad subjecta plura vel pauciora. Et consequenter ea explicanda est non solò subjectò, sed latitudine Prædicati ad Subjectum. Atq; ita, etsi in hac Enunciatione Omnem hominem esse animal, necesse est, dictum (omnem hominem esse animal) sit universale, non tamen ob id hæc Propositio est universalis.

§. 29. Quippe i. singularis quantitas non magis quantitas est, quàm unitas numerus. Scilicet, principium quantitatis, non species; negata quantitas, non vera, non perfecta, non strictè proprièque dicta. Nec est, ut excipias: Similitudines non esse argumentativas; hic enim similitudine tantùm illustrandi causâ utimur. Probationem verò exornamus solidis rationibus. Nimirum, omne quantum est divisibile in suo genere. Sic octonarius numerus verè quantus, verè etiam divisibilis est in suo genere h. e. divisione non physicâ, quæ dissectio proprie est: sed Arithmeticâ, utpote in octo unitates. Quarum unitatum nulla vicissim divisionem admittit. Sic superficies verè quanta, verè etiam divisibilis est in suo genere, h. e. divisione Mathematicâ in lineas: quæ & ipsæ quantæ dividere rursus patiuntur in puncta: puncta verò ob quantitatis defectum dividi nequeunt; Sic Genera & species quanta sunt simulque divisibilia; illa in suas species, & hæ in sua Individua: Individua autem, quanquam physicè possint, in suo tamen genere h. e. Logicè dividi nequeunt. Nam Logicè dividuntur quæ de aliis affirmativè prædicari possunt. Patet hinc satis, eòque plus, Individua quanta non esse. Quod si igitur Modales compositæ omnes singulares sunt, nulla quantitatem habebit. Verùm enim verò falsum hoc esse unicâ hac ratione obtinebo facilè, quod tum ex compositis Modalibus nulli possent in primâ Figura Syllogismi fieri. Quia enim in illa Subjectum Majoris necesse est esse Prædicatum Minoris, & Minor verò in eadem Figura affirmativa semper esse debet: fieri nequit, ut ex singularibus Enunciationibus in illâ Syllogismi fiant. Cùm verò ex Modalibus Compositis possint Syllogismi primæ Figure
com-

componi, eas non esse singulares evicimus. En Syllogismum
ejusmodi

Necesse est O. animal vivere.

Necesse est O. hominem esse animal. E.

Necesse est O. hominem vivere.

Non desunt quidem alia argumenta, pondere æqualia, sed uti
illis pagellarum vetat angustia, nec præsidium prius flagitat;
nos etiam non de numero sed, valore argumentorum solliciti
fuimus. Deinde (II) & illud silentii peplo neutiquam invol-
vendum, non minus assensu & fide indignum esse, quando to-
tum dictum alterius tantum extremi, videlicet Subjecti ratio-
nem habere affirmatur. Tum enim omnes Modales Compo-
sitæ justo plures terminos habebunt: nimirum quatuor, ut
hic:

Nec. est O. animal vivere.

Nec. est O. hominem esse animal. E.

Nec. est O. hominem vivere.

aut quinque, ut ille:

Nec. est O. hominem esse animal.

Impossibile est lapidem esse animal. E.

Impossib. est lapidem esse hominem.

Monstra igitur Syllogismorum, non Syllogismi erunt. Mon-
stra, qualia non vidit Africa, nescit Asia, ignorat America, da-
mnat Europa.

§. 30. Oppositio Modalium non alia est ab oppositione
Absolutarum. Dicemus tamen tum quomodo non fieri pos-
sit debeatve, tum quo modo possit ac debeat.

§. 31. Non fit rectè oppositio 1. per oppositionem horum
Modorum: (α) Necesse & contingit; (β) Contingit, & Necesse;
(γ) Contingit Necesse & possibile, vid. §. 35. Sic vera oppositio
non est inter illas

B 3

Nec.

Nec. est O. hominem vivere. Contingit O. hominem vivere.
Necesse l. Cont. talpam videre. Possib. est talp. videre.
Contingit Petrum esse doctum. Nec. est Petr. esse doctum.

§. 33. Rectè autem fit oppositio ad Affirmativas solâ negotiationis adjectione ad Modificatam copulam principalem: quæ duo efficit. Primò ex Affirmativis facit negativas: deinde quantitatem mutat in contrariam quantitatem aliam. Negatio enim est naturæ malignantis, & destruit quicquid post se invenit. Sic v.g. huic

Necesse est O. hominem esse animal.

sic opponi debet

Non necesse est O. hominem esse animal.

In qua particula NON destruit affirmationem; mutatq; Propositionem in negativam, quantitate salva.

§. 34. Ad negativas autem rectè fit oppositio solâ negotiationis remotione.

§. 35. Ad Necesse etiam per Impossible, & ad hoc per Necesse formaliter opponitur.

§. 36. Conversionem & Equipollentiam pagellæ non capiunt. Ideoque postremam operi manum adhibitori facimus Disputationem hanc desinere in verba toties, nec satis laudati Scharffii *Instit. Ling. lib. 2. c. 6. p. m. 434.*

Profectò illis observatis facile fieri poterit iudicium de reliquis, quæ de affirmatione & negatione, oppositione aut Equipollentia (adde & conversione) nimis intricatè disputari solent.

SOLI DEO GLORIA.





Quid Modus est, Vates, doctō mibi carmine trade;

Namq̄ Modi cepit vix moderatus amor.

Cūm, quicquid cœli totus complectitur orbis,

Debeat esse Modis; sic habet omne modum.

Quod terræ facies tegit & quod condidit intus,

Aër quod fluidus; sic habet omne modum.

Quodq̄ suis undis spumosum supprimit æquor,

Non caret hocce Modis: sic habet omne modum.

Ipsa Modos Sophie patitur quoq̄, Kôltzius inquit:

Nam Logica hos patitur: Sic habet omne Modū.

His de dum loqueris cathedrâ, Doctissime Kôltzi,

Te nulli capiunt; sed capis ipse modos.

In studiis illis loca dicis nulla relicta:

Ut consentimus, sed tamen hocce nego.

In studiis fac esse Modum, nimiumq̄ ne pergas:

Immodicō studiō perditur ingenium.

*His Præstantissimo ac Literatissimo
Dn. Respondenti animum expri-
mere suum voluit*

P R Æ S E S.

Lipsia

L Ipsia Te vidit, Grünbergi, Gryphia Tempe
Te nôrunt. dotes Albidos ora notat.
Te pariter, Kôltzi, commendat rarior ordo
Castalidum: Laurum Pieris ipsa feret.
Ergo uterq; jugi Pimplai scandite culmen,
Alter ut acquirat, alter ut alma chori
Latius Aonii numerando puncta, reportet
Præctaras laudes, præmia digna Sopho.
Sic Grunbergiacos Arctus celebrabit honores:
Omina Leucopetræ candida turba dabit!
Nec Te deterior, Kôltzi, jam fama manebit,
Quem tibi struxisti hîc, altius ibit honor.

Quod levidense metrum insubide & tumultuariè quidem, sed sincerè atque officiosè pariter signatum tum Clariss. Dn. Præsidis honoribus dicare, tum omni Præstantiss. Dn. Respond. donare jure debuit

M. Conradus Samuel Schurzfleisch/
Gvaldeccus.



Cor. Diss. A. 173, Uisc 1